Qualiter tempore interdicti generalis agatur circa infirmos et
defunctos Magister Jacobus de Nucia monachus Campensis.

Sciendum quod infirmis monachis et conversis nostri ordinis Con-
fessio et Sacramentum Eukaristie tempore interdicti nullatenus
sunt deneganda. sed extrema unctio tempore interdicti nulli est inpendenda.
Insuper si aliquis moritur de monachis vel conversis tabula non pul-
setur nec Campana nec Credo in unum deum alta voce. sed tacite a quo-
libet singulariter dicatur Postmodum sine sollempnitate deportationis cru-
cis et aque benedicte et absque processione ad locum morientis accedatur
nec commendacio nec aliquid aliud publice legatur. sed unusquisque in corde
suo tacite et singulariter oret prout sibi viderit expedire Tamen prior ali-
quis non indutus sacris vestibus neque stola Commendacio sive De-
lectio ita quod nemo audiat legatur dummodo talis legens dum-
taxat sit in parte una parte recedens a mortuo aliquantulum. et
paget id quod fuit pagendum Post crux Crux cum aqua benedicta per
singularem personam sine sollempnitate ad morientem portatur et iuxta
morientem ponitur ac crux aspergitur. Quo facto mortuus post ab isto
loco sine processione et absque ulla sollempnitate sine cantu ad ecclesiam
deportatur. ac ibi stare permittatur. quousque fuerit sepeliendus nec
aliquid orationes fiant pro eo in ecclesia ita quod chorus contra chorum vicissim teneat
Poterunt quidam ibi sedere et unusquisque orationes suas sola di-
cere in corde suo. sic quod alterius non audiatur Nec aliquis [illegible] pro
eo dicatur nec crux tollatur ad [illegible] nec [illegible] duci in alia mutetur
sed secundum tempus expostulat pagatur Poterunt tamen monachi per
noctem manere in choro iuxta defunctum sicut consuetum est. ita tamen
quod aperte nichil legant vel orent. sed unusquisque sola sibi oret prout
sibi viderit expedire Et hoc intellige de orationibus que circa de-
functum fieri solent Sed matutine et alie hore dici possunt aperte [illegible]
quod nobis per sedem apostolicam est indultum Adveniente hora se-
pulture. sine cantu et sine omni sollempnitate et commendatione que per Abbatem

fieri ſolent ad ſepulchrum deportetur abſque proceſſione ſine
Cruce et ſine Aqua benedicta. nec aqua benedicta aſpergatur. ſed ſub ſi-
lencio in ſepulchrum ponatur terra ipſa que ad ſepulchrum ſuper eum
proiciatur. poterit tamen vnuſquiſque oraciones ſuas dicere quas voluerit ſub
ſilencio ¶ Quo fratres Conuentus ſine proceſſione ad clauſtrum reuertan-
tur. et ſeptem pſalmi minime legantur. ſed vnuſquiſque ſolus et ſeorſum
eos perſoluat Et abſolucio in Capitulo differatur. quouſque interdictum
fuerit relaxatum ¶ Item vt familiares ſeu conuerſi non poſſunt nec
debent in noſtris monaſteriis ſeu cimiteriis ſepeliri tempore interdicti &c

Indulgencia fratrum ordinis Ciſtercienſis a pena et [illegible]
a culpa ſecundum bullam papalem que miſericorditer conceſſa

Dominus noſter Jheſus chriſtus per ſuam piiſſimam eſt ab
miſericordiam et meritum ſue digniſſime paſſionis
te abſoluat Et ego auctoritate ipſius et beati
Petri et Pauli apoſtolorum. et ſancte romane eccleſie ac felicis
recordacionis ſummi pontificis Vrbani ſexti in hac parte
michi conceſſa. abſoluo te ab omni ſentencia excommunicacionis
maioris vel minoris ſuſpenſionis. et interdicti ſi quam vel
quas incurriſti Et diſpenſo tecum ſuper omni irregularitate
et inhabilitate. ſi quam vel quas contraxiſti. et ab omnibus
peccatis tuis de quibus confeſſus es in generali vel in ſpeciali. et
a circumſtanciis et negligenciis eorum. et ab hiis que non recolis
et de quibus libenter confiteris ſi loqui poſſes. et ple-
nam tibi eorum indulgenciam et remiſſionem concedo ſi in
iſta vice morieris Et ab omnibus peccatis tuis in purgato-
rio debitis propter culpas et offenſas quas contra deum
commiſiſti. et quantum michi permittitur et claues ſancte ro-
mane eccleſie ſe extendunt. et gratum fuerit in con-
ſpectu diuine maieſtatis Et reſtituo te illi innocen-
cie in qua eras. quando baptizatus fuiſti. et vnitati fide